Collection de la Bibliothèque des Exercices
de saint Ignace

Etudes et documents
paraissant tous les deux mois

N° 57
Troisième de 1919

QUAESTIONES

- - - DE TRIBUS BINARIIS - - -

ET

DE TRIBUS HUMILITATIS MODIS

A

P. H. PYDYNKOWSKI, S. J.

cum Epistula P. Fr. de Hummelauer, S. J.



RÉDACTION

Bibliothèque des Exercices
7, Rue des Augustins
ENGHIEN (Belgique)

ADMINISTRATION

Librairie P. Lethielleux
10, Rue Cassette
PARIS (6e Arrt)

Collection de la Bibliothèque des Exercices

Dans le présent opuscule, le P. H. Pydynkowski cite plusieurs fois le grand ouvrage du P. Antoine Denis, S. J., *Commentarii in Exercitia Spiritualia S. P. N. Ignatii, concionatoribus etiam accommodati,* Mechliniae, 1891-1893. Nos abonnés et lecteurs apprendront avec satisfaction qu'ils peuvent se procurer ces **4 volumes 8°,** au prix de **douze francs,** en s'adressant au *Collège du Sacré Cœur,* rue de Montignies, 72, **CHARLEROI** (Belgique).

1906

1. *S. S. Pie X et les Œuvres de retraites.* P. DEBUCHY. 20 pp. *Epuisé*
2. *La Maison de retraites de Vannes au XVII^e siècle.* H. CHAURAND. 52 pp. . . . . 1 »
3. *De la formation d'une élite pour les Œuvres et pour les Paroisses dans le cénacle de la Retraite.* H. WATRIGANT. 50 pp. . . . 1 »
4. *Les Confréries du T. S. Sacrement et les retraites fermées d'hommes en Belgique.* R. P. DIEUDONNÉ, O. C. 44 pp. 0.80
5. *De la direction des retraites collectives* (à Bologne, fin du XVII^e siècle). C. ETTORI, S. J. 111 pp. *Epuisé*
6. *Introduction à l'étude des Exercices spirituels de saint Ignace.* P. DEBUCHY. 72 pp. 1.40

1907

7. *Les règles du pur Catholicisme selon saint Ignace de Loyola.* M. MESCHLER, S. J. 37 pp. . 0.75
8. *Peut-on employer les projections lumineuses dans les retraites?* G. LE BAIL. 38 pp. . . . 0.75
9. *La Méditation fondamentale avant saint Ignace* (Essai historique et critique). H. WATRIGANT. 148 pp. 2.50
10. *Saint Alphonse de Liguori et les retraites fermées.* R. P. WALTER. C. SS. R. 51 pp. . . . 1 »
11. *La Retraite de Vennes.* V. HUBY (1678). 50 pp. . . . . 1 »
12. *Bibliographie des récentes publications sur les Exercices spirituels et les retraites.* H. WATRIGANT. 43 pp. 0.80

Les numéros marqués épuisés *ne sont plus vendus qu'avec la série complète.*

COLLECTION DE LA BIBLIOTHÈQUE
DES EXERCICES DE SAINT IGNACE

N° 57.

H. PYDYNKOWSKI, S. J.

QUAESTIONES DE TRIBUS BINARIIS ET DE TRIBUS HUMILITATIS MODIS

Benevolo Lectori.

Componitur iste fasciculus duobus tractatulis, quorum prior agit de Trium Binariorum meditatione, quae habetur in secunda Exercitiorum hebdomada post Duorum Vexillorum meditationem ; posterior vero, de Tribus Humilitatis Modis, qui ante Electionem sunt considerandi. At dum ille integer scribitur a Patre H. Pydynkowski, hic constat eiusdem litteris ad Patrem Fr. de Hummelauer datis et accepto doctissimi Exercitiorum commentatoris responso. Vale.

Redactores.

Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/collection-bibliotheque-des-exercices-st-ignace_1919_57

I

OBSERVATIONES AD MEDITATIONEM « TRIUM BINARIORUM. »

Pars I. — Observationes generales.

SCOPUS huius meditationis, iuxta V. P. Roothaan (nota 64) est : « ut repugnantia voluntatis vincatur » ; iuxta Directorium vero : « ut, qui se exercet, examinet seipsum et cognoscat affectum suum circa res mundanas » et « ut cognoscat anima, quam turpe est non exuere cupiditates, vel eo solum modo quo ipsi libeat » (cap. XXIX, n. 3 et 6). P. Meschler denique putat, scopum illum consistere in dando exercitanti criterio firmae voluntatis. Certe, omnes tres isti fines possunt in hac meditatione reperiri ; sed praecipuus et a S. Auctore primo loco intentus, videtur esse : perfecta *indifferentia* voluntatis ad commoda vel incommoda naturae, simulque summus zelus obsequii divini. S. P. Ignatius enim in tertio Binario, et praesertim in illo Notando ad calcem huius meditationis, evidenter indifferentiam praetendit et ad illam obtinendam omnes conatus exercentis se dirigit. Eiusdem sententiae est et P. Denis in suo « Commentario ». Indifferentia igitur est ultimus scopus huius meditationis ; sed in decursu agitur de dispositione voluntatis humanae respectu divinae, allicientis ad perfectiora. Illa autem perfectiora incipiunt a paupertate, quae est quasi limen et fundamentum utriusque perfectionis, praeceptorum videlicet et consiliorum evangelicorum. Quod attinet ad primam : Christus Dominus a paupertate orditur sermonem suum de Beati-

tudinibus, quae omnes fideles obligant, dicens : « Beati pauperes spiritu ». Actualem vero paupertatem, qua fundamentum alterius perfectionis, idem Dominus ponit, quando dicit illi iuveni : « Vade, vende quae habes, et da pauperibus ».

LOCUS ET ARGUMENTUM. Ponitur haec meditatio a S. Auctore post « Regnum Christi » et « Duo Vexilla », sed ante Electiones, ut ille qui exercetur videat quasi in speculo tres possibiles dispositiones voluntatis, relate ad pecuniam, quae est symbolum cuiuscumque possessionis et proprietatis. Tres istas dispositiones repraesentant tres illi Binarii sive classes hominum.

Prima dispositio sufficit ad eliminandum peccatum mortale, secunda tollit deliberatum veniale ; tertia demum tollit vel imperfectiones.

Certe, dispositio huius tertii Binarii ea est de qua innuit secundum praeludium, i. e. « id quod gratius est divinae Bonitati » ; et eadem etiam, sine dubio, constituit illam « gratiam ad eligendum id, quod magis sit ad gloriam suae divinae Maiestatis », quam postulare nos iubet S. P. Ignatius in tertio praeambulo.

SENSUS TERTII PRAEAMBULI ET TERTII BINARII. Sed operae pretium est indagare, quisnam sensus possit subesse isti expressioni : « gratia ad eligendum » ?

In tertiis (respective secundis) praeambulis S. P. Ignatius, ut notum est, assignat fructum, quem exercitans debet desiderare et obtinere, qui fructus semper est duplex gratia, pro intellectu videlicet et pro voluntate. Quum autem haec meditatio, ut patet, non sit ipsa electio alicuius rei vel status vitae, mira aliquo modo videri potest « postulatio gratiae ad *eligendum* id quod magis sit ad gloriam suae divinae Maiestatis ». In « Modo ad faciendam electionem » similiter petitur aliquid « quod magis sit in laudem et gloriam suam », sed illud non est haec nostra « gratia ad eligendum » ; dicitur enim ibi : « petere a Deo Domino nostro, ut velit movere voluntatem meam, et ponere in anima mea id quod ego debeo facere circa *rem propositam*, quod magis sit » etc.

Ex comparatione harum duarum petitionum, clarum, ni fallor, apparet, illam primam referri ad subiectivam dispositionem voluntatis hominis electuri. Qualis vero ista dispositio esse debeat, abunde patet e tertio Binario, apud quem videmus perfectam indifferentiam ad commoda vel incommoda naturae, et simul summam *differentiam*, seu magnum zelum erga illam portionem gloriae Dei, quam Binarius (i. e. ipse exercitans) posset Deo praestare.

Animadvertendum hic etiam est S. P. Ignatii subtile, valdeque profundum ingenium : in tertio enim illo Binario iungit summam voluntatis indifferentiam cum aeque magno eiusdem zelo. Indifferentia refertur ad naturam lapsam, sive ad egoismum hominis, zelus autem, ad gloriam Dei. Et hoc modo idea Fundamenti iterum hic revertitur, sed plus evoluta. Nam et ibi reperire est zelum voluntatis ; servire enim Deo, adhibere ad hoc adiumenta et rejicere impedimenta, et denique « desiderare et eligere ea quae magis nobis conducant ad finem », indigent certe voluntate non remissa, sed zelosissima.

« PECUNIA ». Recte etiam in hac meditatione ponitur exemplum de pecunia, et quidem sat magna, nempe decem millia ducatorum ; pecunia etenim est consuetum obiectum, tum paupertatis, tum avaritiae. Acquisita est ista pecunia sine peccato, saltem mortali ; secus enim tertius Binarius non potuisset indifferens esse ad retinendam vel reiciendam illam (vide Dir. c. XXIX, n. 4) ; sed tamen acquisita erat absque perfectione, quod innuitur verbis : « non pure ac debite propter amorem Dei ». Omnes tamen tres Binarii habent quamdam aspirationem ad perfectionem.

« VOLUNT SE SALVARE ». Dicit quidem S. P. Ignatius : « volunt omnes se *salvare* et invenire in pace Deum » ; sed quo sensu intelligenda est ista « salus » ? Numquid illo quo in consideratione de tribus Humilitatibus dicitur : « primus modus est *necessarius* ad salutem aeternam » ? i. e. in sensu opposito condemnationis aeternae ? Minime gentium. Sumus enim in secunda

hebdomada, i. e. in via illuminativa, ergo purgati iam a peccatis mortalibus, igitur liberi etiam ab immediato periculo inferni. Intelligere itaque oportet hanc expressionem potius illo sensu, quo dicitur in secundo puncto primi modi electionis... « id quod sensero *magis* ad... salvationem animae meae » et alibi passim in negotio Electionum. S. P. Ignatius igitur intelligit hoc loco *perfectam* salvationem, quae utique eo perfectior est, quo perfectior est gloria Dei ab anima salvanda causata. Si « multae sunt mansiones in caelo », multi etiam gradus salvationis esse debent.

« PAX » et « AFFECTIO ». Volunt itaque omnes isti Binarii « se salvare et invenire in pace Deum Dominum nostrum », i. e. invenire Eum volunt non qualicumque modo, sed ut Illi omnimode satisfaciant. Ad illam igitur satisfactionem Dei, sive ad plenum consensum voluntatis humanae cum divina officit istis Binariis « affectio rei acquisitae », quam affectionem « inimicus humanae naturae » in cordibus eorum incipit magis magisque excitare (vide med. de Duob. Vex.). Illa itaque « affectio rei acquisitae » nihil aliud est quam defectus indifferentiae voluntatis ad commodum vel incommodum naturae ; et idem ipse defectus constituit illis istud impedimentum, quominus possint « invenire in pace Deum Dominum nostrum ».

ANALOGIA CUM TRIBUS HUMILITATIBUS. Potest assignari strictus parallelismus inter hanc meditationem et considerationem « De tribus modis Humilitatis » ; quia sicut paupertas est fundamentum et, ut sic dicam, limen perfectionis, ita humilitas eiusdem culmen et apex ; et sicut voluntas tripliciter potest se habere respectu paupertatis, ita etiam tripliciter relate ad humilitatem.

In praxi, i. e. inter homines viventes in mundo, multi inveniuntur quibus Deus dat aspirationes ad perfectionem, qui tamen « abeunt tristes », ut dicit Evangelium, « habent enim multas possessiones »; sed tamen, quia « custodiunt a iuventute sua praecepta Dei », non damnantur. Possunt quidem damnari aliis de causis, sed non ob hanc affectionem rei acquisitae.

Primus itaque Binarius manet usque ad mortem cum solis istis aspirationibus ad perfectionem, sed etiam sine peccatis, saltem mortalibus, ut dictum est. Iste igitur primus Binarius repraesentat primum gradum paupertatis, hoc sensu, quod acquisiverit istam pecuniam et possideat sine peccato mortali. Gradus hic necessarius utique est « ad aeternam salutem » et respondet, sub hoc respectu « primo gradui Humilitatis ».

Exercitans tamen, cogitans de primo isto Binario, non debet illum despicere, sed potius desideret « adiuvare huiusmodi homines, adducendo illos primo ad summam paupertatem spiritualem » etc., prout dicitur in meditatione « De duobus Vexillis ». Et eo minus deberet eos despicere, quod et ipse, et omnis fere Sanctus a primo illo Binario viam suam spiritualem ordiebatur. Homines huius categoriae habent sic dicta pia desideria perfectionis, sed procrastinant effectui ea mandare usque ad mortem. Interim tamen vivunt in statu et in limitibus mandatorum Dei, sed imperfecte, i. e. abstinent a solis peccatis mortalibus.

Homines secundi Binarii habent non tantum pia desideria perfectionis, sed etiam adhibent media practica ad eam obtinendam ; volunt solum ut proprietas huius pecuniae maneat apud ipsos. Et quia talis dispositio, i. e. voluntas retinendi iuste acquisita, non est ullum peccatum, ideo putant Deum posse accommodare sese eorum voluntati. Homines igitur huius classis, « ad eligendum id quod magis sit ad gloriam divinae Maiestatis », multo melius sunt dispositi quam primi, sed nondum perfecte. Ideo videlicet imperfecte, quia limitant perfectionem paupertatis ad solam paupertatem spiritualem. Limitant vero eam eo ipso quod putent, satis se responsuros Deo vocanti ad perfectiora, si bene utentur bonis suis, manentibus tamen in ipsorum possessione : « Ita volunt tollere affectum, ut tamen maneant cum re acquisita » ; non sunt autem parati privari sua possessione, etiamsi Deus hoc ipsum ab eis desideraret ; quamvis nondum sciant, Deum reapse id ab ipsis desideraturum esse. Huiusmodi dispositio excludit quidem pecca-

tum veniale, sed non est parata amplecti illud consilium evangelicum : « Vade, vende quae habes et da pauperibus ». Correspondet itaque iste Binarius « secundo gradui humilitatis » ; ibi enim similiter non peccatur venialiter, quamvis pro nihilo reputentur imperfectiones (ut suo loco dicetur).

Tertius Binarius. Homines denique tertii Binarii, seu tertiae classis, habent optimam dispositionem animi ad eligendum illum statum vitae, qui, in se quidem est perfectissimus, sed pro ipsis, nonnisi sub conditione, — i. e. si Deo placeret eos ad illum vocare, — ad statum videlicet paupertatis *actualis*. Non omnes enim homines vocantur a Deo ad *statum summae perfectionis,* quamvis unumquemque hominem Deus velit, non solum salvum fieri, sed etiam habere saltem tendentiam ad summam perfectionem correspondentem statui in quo actualiter inveniatur. Distinguenda est enim omnino perfectio status a perfectione individuali. Et ideo summi momenti est et summa attentione dignum id quod S. P. Ignatius dicit in fine huius meditationis, nimirum : « in colloquiis petendum ut Dominus ipsum eligat ad paupertatem actualem, *dummodo* sit servitium et laus suae divinae Maiestatis ». Supponit ergo S. P. Ignatius, *posse* non fore laudem divinae Bonitatis, ut hicce homo concretus eligatur ad *statum* paupertatis actualis, seu ad consilia evangelica. Item, post considerationem De tribus modis Humilitatis dicitur : « Itaque pro eo qui desiderat hanc tertiam humilitatem obtinere, multum prodest facere tria colloquia de Binariis, petendo, ut Dominus noster velit illum eligere ad hanc tertiam et meliorem humilitatem... *si aequale aut maius fuerit servitium et laus suae divinae Maiestatis* ». Ergo iterum admittitur possibilitas, quod ex huiusmodi electione perfectioris status, *minus* foret Dei servitium ; non utique hoc sensu ac si ipse gradus tertiae humilitatis non esset absolute ad maius servitium Dei ; sed in persona concreta ipsius recollectantis, fortasse non erit. Apposite ad istam distinctionem, inter perfectionem videlicet status et perfectionem individualem hominis, scribit V. P. Fr. Suaresius : « Aliud

est agere de perfectione, aliud de *statu* perfectionis : ibi ergo (in med. de duobus Vex.) non agitur de statu perfectionis, sed absolute de perfectione ; quia electio status non limitatur ad *statum* perfectionis, quamvis ad perfectionem in *quocumque* statu obtinendam ordinetur » (« De Spir. Exer. S. Ig. » Parisiis 1910, pag. 56).

Tertius igitur Binarius respondet tertio gradui humilitatis. Sicut enim ibi est summa perfectio humilitatis, ita hic paupertatis, excludens vel imperfectiones.

Pars II. — Speciatim de Tertio Binario.

Seorsim et fusius dicendum est de tertio illo Binario ; non videntur enim auctores, hac de re scribentes, rem acu tetigisse.

Habendo prae oculis proprium S. P. Ignatii laconicum modum loquendi et oeconomiam verborum, mira imprimis videri possit in hoc puncto profusio quaedam sermonis. Quum enim sermo de primus duobus binariis occupet 27 lineas, de solo tertio diffunditur ad 34 (in edit. Roehampton, 1874) ; prolixior videlicet est sermo quam de primis duobus binariis simul sumptis. Cur ita? Ideo certe, quod res appareret S. Auctori difficilior explicatu. Inquirendum igitur est accuratius, et subiciendus scrupolosae analysi textus S. P. Ignatii.

ANALYSIS TEXTUS. « Tertius vult tollere affectum, sed ita eum vult tollere, ut etiam non teneatur affectione ad rem acquisitam retinendam vel *non retinendam* » etc.

Imprimis attentione digna est ista disiunctiva : « vult tollere affectum, sed ita eum vult tollere ut non teneatur affectione ad *rem relinquendam* VEL *non relinquendam* ». Facile quidem intelligitur « affectio ad rem retinendam », sed ad quaestionem, quid sit affectio ad rem *non* retinendam, animus haeret. Quomodo enim haberi potest affectio ad aliquid negativum? ad nihil? Si S. Auctor vellet solum ostendere, tertium binarium, per oppositionem ad secundum, paratum esse ad renuntiandum proprietati vel radi-

cali, sicut hic locus consuevit explicari; tunc certe alio, multo clariori modo et breviori idipsum expressisset; dixisset nempe, tertium binarium ita velle affectum illum tollere, ut etiam contentus sit rem acquisitam sibi auferri. Cur itaque S. Ignatius, vir, ut bene loquitur P. Denis, « paucorum verborum hoc (i. e. de affectione et non affectione) quasi ad satietatem repetit » et, addiderim ego, rem nihilominus in obscuritate relinquit?

SOLVITUR DIFFICULTAS. Multum hac de re cogitans, sequentem solutionem videor mihi invenisse.

Supponit nimirum S. Auctor, dari et existere homines, valde affectos ad perfectionem, et nimio zelo ad eam tendentes, qui a priori et inconsiderate inclinantur ad paupertatem *actualem*, i. e. est ad « rem acquisitam *non retinendam* ».

Quod autem huiusmodi dispositio reapse aliquando inveniatur, argumento sit philosophus ille ethnicus, Crates, qui, ex naturali utique tendentia ad perfectionem obtinendam, usus est medio *non retinendi pecuniam;* et ideo, venditis omnibus suis bonis, pretium eorum proiecerat in mare. Vitium prodigalitatis similiter est affectio ad rem *non retinendam*, quamvis non ex motivo perfectionis. Ergo multi quoque homines christiani, sed imperfecti, tendentes tamen ad perfectionem, possunt habere affectionem vitiosam proiciendorum suorum bonorum. Et re vera, huiusmodi homines, inter aspirantes ad ordinem, aliquando occurrunt. Non distinguunt videlicet illi *statum* perfectionis a perfectione individuali (vide superius cit. Suaresium). Putant enim, eum qui vult perfectus esse, debere necessario ingredi quoque statum perfectionis. Sed errant: melius est enim, sive perfectius, esse in statu minus perfecto, sed personaliter omnem perfectionem illius status obtinere, quam in perfectiori statu imperfectius vivere; occasionem autem magnam imperfectius vivendi adsciscitur sibi ille, qui a priori et inconsiderate intrat perfectiorem statum, ignorans an sit ad illum divinitus vocatus. Evidentiam huius assertionis obvium exemplum ostendit. Si e. gr. digitus diceret: « Oculus est perfectius mem-

brum digito ; malo igitur esse morbidus vel etiam caecus oculus, quam sanus digitus ».

DUPLEX PRAEPARATIO VOLUNTATIS AD ELECTIONEM. Tertius igitur binarius prudens est, et non vult affici vel ad perfectiorem statum, sive ad rem *non retinendam*, donec sciat in quo statu Deus se habere voluerit. Haec est igitur *negativa* dispositio voluntatis et simul perfecta eiusdem indifferentia ante electionem. Haec indifferentia est etiam partialis finis huius meditationis. Dico partialis, constituit enim negativam solum dispositionem voluntatis ; integer vero debet continere et positivam, ut mox videbimus.

Comparando autem hanc indifferentiam cum illa de qua est sermo in Fundamento, dicamus oportet, istam esse multo subtiliorem. Ibi etenim agebatur de indifferentia ad « omnes res creatas » in quantum non sint adiumenta vel impedimenta gloriae Dei, — hic vero agitur de indifferentia erga duo media, per se quidem efficacissima gloriae Dei obtinendae ; sed, donec sciatur utrum eorum, pro tali concreta persona sit efficacius altero, — voluntas manet suspensa et indifferens ad utrumque. Subtilis autem haec indifferentia, seu potius aequilibrium voluntatis aeque laedi potest affectione ad rem *retinendam*, quam affectione ad *non retinendam*. Et hoc ipsum optima est confirmatio nostrae hypothesis de abscondita mente S. P. Ignatii.

Tertius itaque binarius iam abstulit « a se pondus et impedimentum, quod in affectione rei acquisitae habuerat ». Et quia affectio erga rem acquisitam potest esse vel ad eam retinendam, vel ad non retinendam, ille abstulerat utramque. Duo primi binarii volebant tollere affectionem solummodo ad retinendam ; ad non retinendam vero neque suspicati sunt, talem affectionem posse existere. Et etiam istam ad retinendam, primus sustulit solummodo in pio desiderio, sive in abstracto, secundus in concreto quidem, sed dimidiate tantum (ut infra dicetur).

Dispositio positiva. Cur tamen S. P. Ignatius non sistat in ista

prima propositione circa tertium binarium, sed iungit illi adhuc alias tres, facitque unam longam periodum, quatuor membris constantem ?

Respondeo dicendum, quod in prima illa propositione sermo est de sola indifferentia, i. e. de negativa parte dispositionis animae ante electionem. Haec dispositio est quidem conditio sine qua non bonae electionis; voluntas enim indifferens nec vult neque non vult quidquam e motivo naturali, i. e. vult non propter ullum suum naturale commodum, neque renuit ob aliquod incommodum. Sed in tertio praeambulo dicitur, petendam esse gratiam « ad eligendum id quod magis sit ad gloriam suae divinae Maiestatis ». Ergo petendum est aliquid positivi, tamen non res aliqua concreta, e. gr. quidam status vitae, sed petenda est sola voluntas ardenter cupiens id quod videbit fore sibi magis ad gloriam Dei. Et re vera, tertius binarius, in hac secunda propositione « vult solum velle, vel nolle, *prout Deus Dominus dabit illi velle,* et personae tali melius videbitur ad servitium » etc, ergo nihil propter seipsum egoistice.

Quaeri tamen potest cur S. P. Ignatius addiderit verba : « et personae tali melius videbitur ad servitium » etc. ? siquidem verba illa videri possunt pleonastica, quum immediate praecedentia eundem habeant sensum ? Propterea, ut puto, quia prior sententia : « prout Deus Dominus noster dabit ipsi velle », posset intelligi sensu quietistico, i. e. quasi non esset necesse ut nos ipsi, vitali actu intelligamus et velimus ; ideo addidit « et prout *personae tali* videbitur ».

« INTEREA VULT REPUTARE ». Sequitur tertium membrum huius periodi : « et interea vult reputare, quod omnia relinquat in affectu, vires intendendo, ut neque illam rem, neque ullam aliam velit, nisi ipsum moverit solum servitium Dei Domini nostri ».

Quaeritur imprimis quare dicatur « interea », vel iuxta versionem vulgatam « interim », et cur in primo et secundo binario absint istae voces ? Vox illa evidenter significat tempus ante electionem,

i. e. antequam sciat exercitans ad quem statum vitæ vocaverit illum Deus.

Primus binarius nullum habet « interim », quia electionem et mutationem status differt usque ad mortem. Secundus binarius non indiget electione, ut qui iam statuerit retinere illam pecuniam, sive qui elegerit manere in statu paupertatis solummodo spiritualis, cuique persuasum est, Deum posse et debere acceptare approbareque huiusmodi eius propositum. Ille igitur qui non indiget electione, eo ipso non habet ullum « interim » ante electionem.

Quid tamen facit ulterius noster tertius binarius in tempore illo interimali ? i. e. antequam « quaerat et inveniat voluntatem divinam, in vitæ suæ dispositione » (prima Ann.) ? « Vult reputare quod omnia relinquat in affectu », sive, iuxta versionem vulgatam « omnia relinquit integra » ; iuxta vero adnotationem Congregationis generalis V^ae « ita se gerit, ut qui omnia in affectu reliquerit ». Quaero imprimis de quonam affectu hic sermo esse possit ? de « affectione ad rem acquisitam *retinendam* » an de « affectione ad eam *non retinendam ?* » Evidenter de illa altera. Sed Binarius vult solum « *reputare* » se habere illam « affectionem ad non retinendam », quia de facto, inde iam ab initio eam sustulerat.

Cur itaque modo fingit, sive « reputat » habere se illam affectionem, quam re ipsa non habeat ? Ideo quia affectio seu desiderium rei, obiective perfectioris, interim, i. e. antequam sciamus utrum *nobis* foret perfectior, est melior affectione sive desiderio rei obiective minus perfectæ; affectio autem ad rem *non* retinendam est affectio ad paupertatem actualem, ergo in se perfectiorem.

« VIRES INTENDENDO ». Sequitur propositio adverbialis : « vires intendendo, ut neque illam rem, neque ullam aliam velit, nisi ipsum moverit solum servitium Dei Domini nostri ». Tertius itaque binarius, postquam obtinuerat ipso initio perfectam indifferentiam circa commoda vel incommoda naturæ, quæ indifferentia est conditio sine qua non zeli gloriæ Dei, modo exercet ipsum zelum. Intendit nimirum voluntatem suam ut sit parata ad *volendum*

magna cum vi, et vehementer, ea quæ in futura electione cognoscet utilia sibi fore ad servitium Dei, et ad *nolendum* cum eadem vi et vehementia ea omnia quæ deprehendet ad eundem finem fore sibi nociva.

« DESIDERIUM MELIUS SERVIENDI ». Sed quæri iterum potest, ad quid opus fuerit quarto illo membro, nimirum : « ita ut desiderium ut melius possit servire Deo Domino nostro, illum moveat ad rem sumendam vel relinquendam » ? Si quidem in propositione immediate præcedente dicitur binarius intendere vires, ut quidquid demum voliturus seu desideraturus sit, id velit et desideret ob « solum servitium Dei Domini nostri », i. e. ob motivum supernaturale ? Respondeo dicendum, propter duplicem causam addendum erat istud ultimum membrum. 1-mo). In priori membro dicebatur quidem de motivo supernaturali, sed nondum perfectissimo. Potest enim desiderari et eligi aliquid ob *solum* servitium Dei, sed non eo ipso ob *maius* servitium. Hic igitur illud supernaturale motivum adducitur ad perfectionem : « ita ut desiderium, ut *melius* possit servire illum *moveat* ». 2-do). In superiori membro sermo erat de solo positivo actu volendi ob illud supernaturale motivum : « ut nullam rem *velit* nisi ipsum moverit » etc.; hic autem uterque actus voluntatis, tum positivus tum negativus, ob illud supernaturale et perfectissimum motivum dicitur ponendus : « desiderium, ut *melius* possit servire... illum moveat ad rem (non solum) sumendam, (sed etiam) vel relinquendam ».

Et sic tertius ille binarius omnibus numeris est a S. P. Ignatio absolutus, in ordine ad eligendum statum vitæ, vel quamcumque rem, ope cuius pervenire poterit ad summam, quæ sibi possibilis est, perfectionem moralem, seu sanctitatem.

Ea, quæ diximus de interimali illo desiderio paupertatis actualis miro modo confirmantur roborantur que dictis in Directorio (cap. XXIII, n. 4), et præsertim verbis S. P. N. Ignatii ibidem adductis.

Pars III. — De lectione « In effectu », Colloquio et Notando.

Hoc loco dicenda sunt quædam verba de lectione : « in effectu » loco « affectu », prout proponit R. P. Roothaan.

Argumentatio huius Venerabilis Auctoris, pro illa lectione, in nota 67ª ad 2ªm hebdomadam, est sequens : « Hæc *tertia Classis* eam animi dispositionem exhibere censetur, quam hoc « Exercitio » quærimus .. nempe *ut tollatur impedimentum quod ex affectione* » *rei acquisitae habetur.* Agitur enim in hac classe de eo, qui » *ita vult affectum tollere, ut non teneatur affectione ad eam reti-* » *nendam vel non retinendam.* Iam vero haec animi dispositio a » tali affectione libera, non satis exprimi videtur, cum dicitur : » VULT REPUTARE *quod omnia relinquat in* AFFECTU; minus » est enim VELLE REPUTARE *quod omnia relinquat in* AF- » FECTU, quam non *teneri affectione* ulla. Incohaerenter itaque » procederet, dum *vellet reputare*, seu sibi animo fingere, se » habere id, quod iam censetur reipsa habere : et ad firmandum » *interea* animum, donec voluntas Domini sibi innotescat, uteretur » medio, quod minus valeret, quam ipsa actualis eius animi dispo- » sitio. Quid enim ad hoc valeret illud : *vult reputare quod omnia* » *relinquat in affectu ?* Valet autem plurimum, si legatur : *in* » *effectu*. Sic enim perfecta animi dispositio, eiusque in meliora » et perfecta conatus exprimitur... Hac ratione *tertia* haec Classis » efficacissime *affectum* omnem tollere nititur : dum, ne sibi ipsa » illudat (quoniam de proprio affectu sat secure iudicare vix » possumus), proponit sibi, imo ita *reputat*, vel certe *reputare vult*, » se omnia relinquere *in effectu*, et hanc animi sui dispositionem » ita firmat, ut non, nisi Divino obsequio id postulante, ea, quae » sic reliquit, *sumere*, seu iterum admittere, in animum inducere » velit ».

Salva reverentia tanti Viri, qui nobis restituit, quasi individua-lem characterem S. P. N. Ignatii, dicendum tamen puto totam hanc argumentationem fundari in duplici, gratuita suppositione. Prima

est, ac si verba S. P. Ignatii : « affectio ad rem acquisitam *non retinendam* » nihil aliud significarent quam maiorem emphasim, et aequivaleant illis, positis in praedicta nota : « non teneri affectione ulla ». In tali suppositione, reapse staret conclusio R. P. Roothaan, nimirum : « minus est velle reputare quod omnia relinquat in AFFECTU, quam non teneri affectione ulla ». Cur tamen dicimus illam suppositionem esse gratuitam, quum appareat omnino iusta, ne dicam evidens? Sunt quædam, quæ prima fronte apparent nobis evidentia propterea solum, quod non cernimus ullam rationem suspicandi, rem aliter se habere. Mihi vero causam suspicandi, praeter ea quae superius dixi, injecit unum verbulum in textu S. P. Ignatii, nempe : « etiam », cum suo utique contextu. Dicit enim S. Pater : « Tertius vult tollere affectum, sed ita eum vult tollere, ut *etiam* non teneatur affectione ad rem acquisitam retinendam vel non retinendam ». Comparans notam modestiam et laconicitatem styli S. P. Ignatii cum ista, revera emphatica locutione, suspicari coeperam, adesse hic quoddam enigma, sive absconditam mentem S. P. Ignatii. Deinde occurrit mihi illa, de qua superius, hypothesis, ope cuius res facta est mihi clara, et hoc modo ipsa hypothesis conversa mihi est in thesim. Verba igitur : « non teneri affectione ad rem *non retinendam* » non sunt synonyma illorum : « non teneri affectione ulla », sed significant absentiam cuiusdam, ut sic dicam, prodigalitatis spiritualis. Et tunc verba : « velle reputare quod omnia relinquat in *affectu* », sive etiam in *effectu*, non erunt aliquid nec minus neque plus quam « non teneri affectione ulla », ut dicitur in illa nota, sed exprimabunt sensum, quod tertius binarius, quamvis reapse non habeat affectionem ad rem acquisitam *non retinendam*, tamen, interim, donec sciat voluntatem Dei, mavult reputare, se illam affectionem iterum induisse.

Altera gratuita suppositio, latens in argumentatione illius notæ est, ac si esset necessarium, vel saltem utile aliquod medium « ad firmandum *interea* animum ». Omnes enim isti Binarii volunt, unus-

quisque suo modo, tollere affectum,et per ipsum actum volendi revera ipsum tollunt; et tollunt in tantum in quantum volunt: Primus tollit affectum solummodo in abstracto, quia velleitate tantum et non voluntate. Secundus tollit usque ad certum gradum,i. e. quoad *usum* pecuniæ, sed non quoad proprietatem eiusdem. Uti enim ea vult non secundum affectum suum naturalem, i. e. non ad commoda vitae, sed iuxta beneplacitum Dei. Ergo consequenter, tertius Binarius ita vult tollere affectum, ut non teneatur ulla affectione ad rem retinendam, et ideo non indiget ullo medio interimali ad firmandum sese in illa dispositione; sustulerat enim omnem affectionem ipso actu volendi. Verba autem S. P. Ignatii: « interea vult reputare quod omnia relinquat in affectu » non sunt posita ad firmandum interea animum, sed ostendunt illam positivam et excellentem dispositionem voluntatis in stadio ante electionem; quod et ipse V. P. Roothaan optime observavit; sed ad hoc non est necessaria illa altera lectio.

Quamnam igitur dispositionem manifestant illa verba? Exercitans nempe fingit se habere affectionem ad rem *relinquendam* potius quam ad retinendam, quod idem est ac ad paupertatem *actualem;* status enim ille perfectior est isto. Exercitans *fingit* ita se esse affectum, quia de facto est perfecte indifferens; nondum enim scit utrum *pro se* ille status perfectior sit, sive utrum Deus velit se in illo fore, an non. Quia secus, i. e. nisi Deus vellet, status etiamsi in se perfectior, pro ipso tamen exercitante esset minus perfectus. Dictum quidem est: «Qui episcopatum desiderat, bonum opus desiderat» (I. Tim. III. 1), sed utrum pro ipso desiderante bonum, hoc adhuc ignoratur; et donec sciatur, — desiderare meliora, optima dispositio est.

Haec dicta sint de duplici illa lectione.

DE COLLOQUIO. Ulterius S. P. Ignatius iubet nos « facere eadem tria colloquia, quæ facta sunt in meditatione praecedenti de duobus Vexillis ».

Rememorari oportet, istam meditationem esse quintam diei

quartae, ideoque esse quasi applicationem sensuum ad Duo Vexilla; tria igitur illa colloquia de Vexillis optime illi quadrant. Prima enim petitio illorum colloquiorum est de summa paupertate tum spirituali, tum etiam actuali, « si divinae Maiestati placuerit ». Sed talis est praecise dispositio tertii Binarii, et eadem debet esse Exercitantis. Et in tota hac meditatione res agitur de paupertate tanquam de initio et limine perfectionis. Ille vero summus amor paupertatis haberi nequit, nisi a Deo, assidua et ferventi oratione obtineatur. Secunda autem petitio hisce tribus colloquiis sollicitanda, est : « de tolerandis opprobriis et iniuriis, ad magis in illis Christum imitandum ». Sed haec tolerantia est simul, expressus et desideratissimus scopus considerationis de tribus Modis Humilitatis ; et ideo, in fine eiusdem, S. P. Ignatius dicit : « qui desiderat hanc tertiam humilitatem obtinere, multum illi prodest, facere tria colloquia de binariis ».

DE NOTANDO. Sequitur apud S. P. Ignatium celebre illud « Notandum » in quo datur consilium petendi id ad quod naturalem sentimus repugnantiam, eo fine ut perveniamus ad veram « indifferentiam ». Secundum ordinarie contingentia, ista naturalis repugnantia est *contra* paupertatem *actualem ;* sed, si exceptionaliter aliquis Exercitans sentiret naturalem repugnantiam contra paupertatem *spiritualem,* sive repugnantiam ad « *rem retinendam* », quod etiam, uti vidimus, est possibile, tunc certe talis Exercitans deberet in colloquiis petere ut praecise ad eam Dominus se eligeret ; sed semper sub conditione, nempe : « dummodo sit maius servitium et laus suae divinae Maiestatis ».

Praevidisse autem S. P. Ignatium etiam huiusmodi casum, suspicari possumus ex phrasi initiali huius Notandi, quae est aliquo modo confusa. Legitur enim ibi : « Notandum est, quod quando nos sentimus *affectum* vel *repugnantiam* contra paupertatum actualem » etc.

Interrogare licet quid sibi vult illud : « quando nos sentimus affectum vel repugnantiam contra paupertatem actualem » ?

Omnino dicendum est, illum affectum erga paupertatem actualem et repugnantiam contra illam, utraque esse inordinata et invicem sibi contraria; « repugnantia » enim non est synonymum « affectus ». Praeterea, illa « indifferentia ad paupertatem vel divitias » violari potest non solum inordinato et naturali affectu ad divitias, sed etiam inordinato et naturali affectu ad paupertatem actualem, ut superius monuimus; ergo S. P. Ignatius supponit possibilitatem huiusmodi inordinati affectus, quod initio dicebamus. Confirmantur autem haec potenter verbis ipsius S. Auctoris; in Annotatione enim 16ª dicit: « Si forte anima inordinate affecta est et inclinata ad rem aliquam » (inordinate autem anima potest affici non solum ad rem malam sed etiam ad bonam); « valde conveniens est movere se, adnitendo totis viribus, ut veniat ad contrarium ei rei cui male affecta est ».

Verum quidem est, S. P. Ignatium, in decursu et fine huius Notandi iam amplius non distinguere inter duas illas paupertates; dicit enim statim post illam primam phrasim, quasi eam interpretando: « quando non sumus indifferentes ad paupertatem vel divitias »; hoc tamen non tollit amphibologiam primae propositionis; imo facile iustificari potest. Ideo nimirum S. Patrem rem enucleatius exponere noluisse puto, quia huiusmodi casus rarus est et insolitus. Alia ex parte scimus, S. P. Ignatium ideo saepe non omnia sua sensa aperire, ut sit locus propriae inventioni legentis sive meditantis (vide Ann. 2).

Versio vulgata tollit quidem confusionem illius phrasis, dicit quippe: « ubi affectum sentimus paupertati perfectae adversantem, et ad divitias magis inclinantem; multum confert »... sed, ni fallor, tollit cum quadam iniuria S. Auctoris. Supponendum enim potius est, S. P. Ignatium consulto voluisse illam propositionem relinquere ambiguam.

Idem dicendum de initio huius 3-tii binarii. Eadem quippe ibi est differentia inter duas illas versiones: Verbalis obscurior quidem est, sed profundior, — Vulgata planior, sed, non attingit (mea

quidem sententia) absconditum sensum S. Auctoris. Quam obscuritatem tollit, et profunditatem aperit (salvo meliori iudicio) nostra illa hypothesis de mente S. P. Ignatii, supponentis affectionem inordinatam ad paupertatem actualem.

Utrum praedictam hypothesim in hoc commento sat fundatis argumentis probaverimus, — iudicet benevolus lector.

II.

DE TRIUM HUMILITATIS GRADUUM DISTINCTIONE.

Reverendissime in Christo Pater.
Pax Christi.

Legenti mihi optimum tuum librum sub titulo : Meditationum et contemplationum S. Ignatii Puncta, occurrit locus, ubi, loquens de « Tribus modis Humilitatis », inquiris de principio distinctionis horum trium modorum, illudque petis e motivis huius virtutis, ita ut primus gradus sit e motivo timoris, secundus e motivo honestatis, tertius e motivo amoris. In secunda editione eiusdem tui, R. Pater, libri, distinguis illos gradus etiam ex obiecto, ita ut primus gradus sit obedientia necessaria ad salutem, secundus : obedientia perfecta, tertius : perfecta conformatio beneplacito Dei. In prima tamen editione serias omnino difficultates, R. P., ostenderas, quominus ex ipso textu S. Patris haec principia distinctionis educi possint. Mihi vero a multo tempore, quaestio illa ex ipsis verbis S. Patris facillime resolvenda apparuerat. Sed eo ipso quod tam facilis mihi repraesentetur, timeo, ne in errore circa ipsum statum quaestionis verser.

Sine igitur, Reverende et amantissime Pater, ut abutar aliquantulum patientia tua et tibi mentem meam hac de re exponam, eo fine ut me corrigas, doceasque verum genuinumque statum huius quaestionis et hoc ipso mentem S. P. nostri Ignatii circa hanc materiam, mihi dilucides.

Humilitatem igitur, mea quidem sententia, S. Pater ponit in submissione voluntatis humanae sub divinam. Eadem nempe quoad intensitatem voluntas humana subditur voluntati divinae, singulis vicibus minus intensae.

In primo itaque gradu videmus voluntatem Dei summe intensam, siquidem intentat voluntati humanae, ni subdatur, poenam aeternam, i. e. eam quae debetur peccato mortali. Intensitas vero voluntatis humanae declaratur hisce durissimis pro natura conditionibus : « ut, etiamsi me constituerent dominum omnium rerum creatarum in hoc mundo, vel pro propria vita temporali, non veniam » etc.

In secundo gradu voluntas divina remisit de sua intensitate totam aeternitatem ; intentat enim voluntati humanae, ni pareat, solummodo poenam temporalem, i. e. eam quae debetur peccato veniali. Voluntas autem humana manet sub iisdem durissimis conditionibus : « ut, nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent, in deliberationem veniam » etc.

In tertio denique gradu voluntas Dei est omnino remissa, nullam etenim intentat poenam voluntati humanae non consentienti cum divina, sed solummodo invitat eam amorose ad se imitandum sive sequendum.

Cur tamen S. Pater in illo tertio gradu non apponat voluntati humanae duras illas conditiones primi et secundi gradus ? Aliis verbis, cur non dicat : « ut, nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent, in deliberationem veniam committendi aliquam imperfectionem ? » Respondeo mihimet ipsi (ignorans an recte) : ideo quia tantus heroismus non est puri hominis, sed solum Hominis-Christi, eiusque Benedictae Matris. Et certe, illa Patris voluntas, cui Christus subdebat voluntatem suam humanam in horto Gethsemani, non intentabat sibi ullam poenam, sed voluntas illa erat purum *malle* Dei, et tamen Christus cum adeo magna difficultate, i. e. quamquam vita sibi auferenda erat, non declinaverat ab illo malle Patris vel hilum.

Altera quaestio, proxima et coniuncta superiori, est: cur S. Pater in secundo humilitatis modo inducat sermonem de illa indifferentia erga media grata vel ingrata naturae? Media, dico, obtinendae gloriae Dei, sub conditione aequalitatis eiusdem. Respondendum ad hanc quaestionem, mea quidem sententia, est: S. Patrem ideo hoc fecisse, ut sit perfectior distinctio inter secundam et tertiam humilitatem: absentia enim peccati venialis in tertia quoque humilitate includitur. Ut igitur levissima illa voluntas, sive malle Dei clarius appareat, opus erat illa comparatione. Comparatione videlicet inter duo homines: unum, qui, ubi videt aequale servitium seu gloriam « Dei Domini nostri », obtinendum vel divitiis vel paupertate, non afficitur magis ad illas quam ad hanc, et alterum, qui in iisdem conditionibus afficitur magis ad paupertatem quam ad divitias, et quidem ideo, quia hoc magis placet divinae voluntati. Magis autem id placere divinae voluntati, homo ille scit, quia Homo-Deus in similibus circumstantiis, magis afficiebatur ad paupertatem quam ad divitias etc. In tertia igitur humilitate non solum non est ullum peccatum veniale, sed nec ulla imperfectio voluntatis humanae subdentis se divinae, sive est perfecta unio inter duas illas voluntates, quae unio summa utique est perfectio ethica.

Videretur primo intuitu, hominem constitutum in hac tertia humiitatae non esse perfecte indifferentem ad « omnes res creatas », sed eligere eas quae sunt duriores pro natura; sed non est ita. Indifferentia enim *voluntatis*, de qua sola S. Pater Ignatius loquitur, in eo consistit, ut voluntas neque velit res naturae corruptae gratas, neque nolit ingratas, et eo ipso apta fiat ad volendas solas res gratas supernaturae, sive quae plus faciunt ad servitium et gloriam Dei, et ad nolendum illas quae minus sunt ad hoc ipsum aptae. Hic igitur, in ista tertia humilitate, talis omnino voluntas supponitur, i. e. perfectissime indifferens ad commoda vel incommoda naturae corruptae et eo ipso aptissima ad volendum ea quae Deo sunt gratiora, et ad nolendum, quae Illi minus sunt grata. Sed quia ipsa appetentia huius tertiae humilitatis potest esse vitiata, tunc

nimirum si esset ex motivo propriae excellentiae, ideo S. Pater vult ut eam appetamus e motivo purissimi amoris Christi.

Cur tamen S. Pater in secunda humilitate posuerit illam indifferentem ad commoda et incommoda voluntatem, et non potius voluntatem affectam ad habendum magis divitias quam paupertatem... ubi aequale fuerit servitium Dei ? Hoc enim omnino sequi debere videretur. Nam si in tertia humilitate eligit et afficitur ad paupertatem magis quam ad divitias, sub conditione aequalis servitii Dei, ergo in secunda humilitate deberet affici ad contrarium; et insuper, manens indifferens circa media, nunquam obtinebit finem, i. e. qualecumque servitium Dei ? Respondeo dicendum (salvo meliori iudicio), ideo S. Patrem non posuisse diserte in secunda humilitate voluntatem inclinatam ad media grata naturae (etiamsi illam supposuisse censendus est), quia tractans de summa perfectione morali, noluit loqui de imperfectionibus. Mentem S. Patris reapse huiusmodi fuisse, conjicere possumus ex eo quod nec in prima humilitate mentionem faciat de peccato veniali, quamvis omnino illud supposuisse necessario censendus sit ; alioqui enim non esset distinctio primam inter et secundam humilitatem.

Altera ratio ob quam S. Pater posuit voluntatem indifferentem loco imperfectae (inclinata enim ad divitias, seu ad rem gratam naturae, est imperfectior indifferente), haec esse potest.

Si dixisset in secunda humilitate voluntatem inclinatam esse ad media gratiora naturae, tunc pro tertia humilitate restaret voluntas indifferens ad grata vel ingrata, ac si haec esset perfectissima. Est quidem huiusmodi voluntas perfectissima, sed negative, i. e. non appetit quidquam minus perfectum. Et quidem huiusmodi indifferentia est conditio sine qua non, summi zeli gloriae Dei. Ideo quoque et in prima humilitate S. Pater non loquitur de mediis gratis vel ingratis naturae, quia cogeretur dicere, homines huius humilitatis eligere media adeo grata naturae, ut etiam parati sint committere peccata venialia, quod noluit.

Quaeri denique potest, quodnam sit criterium istius « *aequalis*

servitii Dei Domini nostri et salutis animae meae » in secunda et tertia humilitate et consequenter etiam in prima ? Quamvis enim S. Pater nihil dicat de *aequali* servitio in prima humilitate, sed, quia in summo gradu est consequens, iure merito interrogare possumus de signo, sive criterio huius *aequalitatis* servitii Dei in primo quoque illo humilitatis gradu ; in duobus quippe ultimis modis humilitatis, criterio illo necessarie indigemus, ut istos modos seu species perfecte comprehendamus intelligamusque. Puto igitur, hominibus primae humilitatis, *aequalis* gloria Dei, gratis vel ingratis mediis obtinenda, tunc adesse videtur, quando in usurpandis gratis nullum apparet peccatum mortale. Non cogitant enim illi omnino de aliquo peccato minori quam mortale ; quando igitur committunt veniale, non putant esse peccatum.

Homines secundae humilitatis putant *aequale* fore servitium Dei grato vel ingrato medio obtinendum, si in adhibendo grato nullum apparet peccatum veniale ; non cogitantes neque scientes de aliquo malo minori peccato veniali, i. e. nihili faciunt imperfectiones. Eligunt itaque medium gratum naturae etiamsi implicans quamdam imperfectionem.

Homines denique tertiae humilitatis habent pro criterio *aequalis* gloriae Dei absentiam vel imperfectionis in adhibendis mediis eam obtinendi gratis naturae (et adhibent ingrata).

Absentia peccati mortalis vel venialis facile quidem deprehendi et observari potest, sed non item absentia imperfectionis. Christi Domini solummodo actiones non tantum carebant omni imperfectione, sed etiam ideo factae fuerant, ut essent nobis exemplar absolutae humanae perfectionis. Christus autem « proposito sibi gaudio, elegit crucem » tanquam medium durissimum ; etiamsi eandem redemptionem hominum, i. e. servitium suum et gloriam Dei a se praestandam potuisset obtinere medio, humanae naturae suavissimo ; quaevis enim Eius actio humana valorem habebat infinitum, utpote actio personae divinae. Infiniti ergo valoris actio, sive illa grata esset naturae humanae, sive ingrata, aequalem

operaretur gloriam et servitium Dei. Ideoque S. Pater volens ostendere absentiam omnis imperfectionis, proposuerat electionem ipsius Christi, ut eam imitentur, qui vocarentur ad hanc summan perfectionem sive sanctitatem.

Ecce tibi, Reverende et Amantissime Pater, quaedam mea sensa et lumina circa hanc considerationem S. Patris nostri Ignatii. Judica ergo de illis et discerne et indica mihi utrum sint iuxta illius mentem, an meae solum fantasticae elucubrationes.

Multum me commendo tuis, Reverende Pater, sanctis Sacrificiis et orationibus

humilis servus tuus in Christo

Die Nativitatis B. V. Mariae
anno 1913.

Bonifatiushaus bei Emmerich 3. 10. 13.

Reverende in Christe Pater!

P. C.

Distuli tibi scribere, quia non bene valebam, neque tamen existimabam hanc epistolam esse perfunctorie scribendam.

« Eadem quoad intensitatem voluntas humana », ais, « subditur voluntati divinae singulis vicibus minus intensae ». Si quaeratur unde dignoscatur haec intensitatis in divina voluntate diversitas, dixerim equidem dignosci e *motivis*, qua Deus appellat : primum timoris, postea iustitiae, tandem amoris.

Num vero intensitas illa dimetienda est potissimum e *poenis* quas comminatur Deus : aeternis, temporalibus, nullis ? Amor non extorquetur minis. Num ideo, quia Deus nullas comminatur minas

ei, qui absque ullo peccato, sive mortali sive veniali, solummodo non ascendit ad 3-um gradum vel ab eo in quibusdam deficit, dicendus erit Deus minore intensitate velle 3-um gradum quam 2-dum ?

Ad quaestionem cur in 3-tio gradu non adscribantur verba : « ut nec pro omnibus rebus creatis, neque eo quod mihi vitam auferrent, in deliberationem veniam commitendi aliquam imperfectionem », primum cavendum est ne sit aliqua aequivocatio in voce « *imperfectio* ». Vocamus saepe imperfectionem actum aliquem, qui ex obiecto totus est bonus, sed aliquid malitiae habet vel habere creditur e concomitante aliquo affectu pigritiae, vanitatis vel alio : hic actus est materia confessionis. Sed imperfectio presse sumpta est actus, qui totus est bonus, sed utique posset esse perfectior ; qui non est materia confessionis. Hoc sensu vox hoc loco est sumenda.

Rationem verborum illorum non adscriptorum affers gratiam omnes humanas vires excedentem, quae ad eiusmodi perfectionem requiritur. Utique requiritur *gratia maior :* sed nonne item requiritur gratia pro 2-do, imo pro 1-mo gradu ?

Praeterea : si ego in iis sum circumstantiis, ut sine ullo peccato, sive mortali sive veniali, possim acceptare divitias, tunc in casu proposito divitias recusare non erit « aequalis laus et gloria divivae maiestatis »; quin imo obligor ad eas acceptandas ad praecavendum homicidium (« eo quod mihi vitam auferrent »). Nonne Christus Jo. 13, 39 selegit vitam longiorem prae breviori, subtraxit se Judaeis, quia nulla auctoritate publica volebant eum lapidare ?

Finxeris quidem casum aliquem subtiliorem, in quo quis non obligatur accepisse divitias : tamen, praecise quia subtilior huiusmodi casus, non fuere S. Patri adscribenda illa verba.

Ad alteram quaestionem : indifferentia 2-di gradus est plane eadem atque indifferentia fundamenti, sunt enim verba vix non eadem. Quae tota et unice fluit e fine rerum, et fluit ex amore Christi. Non vult S. Pater, ut divitiae etc. appetantur *propter se.*

Ut quis ex amore Christi appetat paupertatem vel in aliquo casu etiam divitias, non est contra indifferentiam.

Illud verissimum subest tuae argumentationi, illos tres modos humilitatis non esse solum *modos*, sed ad invicem *gradus*. Homo in primo gradu constitutus, e suo motivo *timoris* perspicit tutissimam protectionem contra peccatum etiam mortale esse indifferentiam : nonne peccata mortalia omnia proficiscuntur etiam a defectu indifferentiae ? Homo in 2-do gradu constitutus perspicit e motivo *justitiae*, perfectissimam justitiam esse in sequela Christi. Id, quod gradus potissimum distinguit, sunt motiva.

Spero, Reverende Pater, haec quae scripsi tibi fore non inutilia. Commendo me tuae indulgentiae sanctisque sacrificiis.

Fr. de Hummelauer S. J.

CUM SUPERIORUM PERMISSU.

Imprimatur :

Tornaci, 7 Septembris 1919
V. Cantineau,
Vic. Gen.

Etablissement Typo-Lithographique
:-: J. VERMAUT :-:
rue Longue des Pierres, 28, Courtrai

- - EDITIONS MODERNES ET DE LUXE - -

1908

13-14. *La Vén. Catherine de Francheville, initiatrice des Retraites de femmes*, d'après le P. Pierre Champion, S. J. P. DEBUCHY. 151 pp. 2.50

15. *Breve directorium ad danda utiliter Exercitia spiritualia*, d'après un manuscrit ancien inédit. 24 pp. 0.50

16. *Retraites de sourds-muets.* H. JEANVOINE. 30 pp. 0.60

17. *Ponterotto, maison de retraites pour les hommes à Rome.* MGR R. SCHÜLLER. 55 pp. . . . 1 »

18. *Les corrections manuscrites des Exercices de saint Ignace.* A. BOONE, S. J. 30 pp. . . . 0.60

1909

19. *Les Exercices spirituels et la Civilisation moderne.* L. TAPARELLI, S. J. 51 pp. . . . . 1 »

20. *Mgr d'Hulst et les Exercices de saint Ignace.* M.-F. GIBERT 42 pp. 0.80

21. *Une zélatrice des retraites, Maria Antonia de San José.* J.-B. COUDERC. 83 pp. 1.60

22. *Directoire pour servir à l'organisation des Retraites de départ.* L. FARSY. 75 pp. 1.40

23. *De examine conscientiæ juxta Ecclesiæ PP., S. Thomam et FF. Vitæ communis.* H. WATRIGANT. 56 pp. . . . . 1 »

24. *Bibliographie 1908-1909.* H. WATRIGANT. 48 pp. 0.80

1910

25. *La pratique des Exercices spirituels dans l'ancienne Mission du Maduré.* L. BESSE, S. J. 45 pp. 0.80

26. *Sacra Tempe seu de sacro Exercitiorum secessu Exempla collecta.* P. MANRIQUE. 72 pp. . 1.40

27. *Les Retraites à Madagascar-Central.* C. DU COËTLOSQUET. 84 pp. 1.60

28. *Une Maison de retraites fermées a Nancy au XVIII^e siècle.* E. BOCQUILLION. 95 pp. 1.80

29-30. *Les Annotations des Exercices de S. Ignace.* P. WAMY, S. J. 80 pp. 1.60

1911

31. *La Retraite de Quimper et Victoire de Saint-Luc.* P. DEBUCHY. 96 pp. 1.80

32. *S. Charles Borromée et les Exercices de S. Ignace.* MGR A. RATTI. 42 pp. 0.80

33. *Le P. Huby aux Indes ou le Miroir de l'âme chez les Protestants.* H. HOSTEN, S. J. 45 pp. . . 0.80

34. *Explication inédite des Règles d'Orthodoxie.* C. JUDDE, S. J. 30 pp. 0.60

35. *Duo antiqua Exercitiorum directoria.* HOFFÆUS et CECCOTTI, S. J. 50 pp. . . . . 1 »

36. *Bibliographie 1910-1911.* H. WATRIGANT. 45 pp. 0.80

1912

37-38. *Bellarmin et les Exercices spirituels.* X. LE BACHELET. 152 pp. 2.50

39 40-41. *Les Exercices spirituels à la naissance des Séminaires.* H. WATRIGANT. 132 pp. . . 2.25

42. *Contemplatio ad Amorem spiritualem.* Méditations inédites. 48 pp. 0.80

1913

43. *Quel est l'auteur de l' « Anima Christi » ?* 56 pp. . . . 1 »

44. *Vie de Sœur Marie Bonaventura.* N. LANCICIUS, S. J. 58 pp. 1 »

45-46 47. *Des méthodes d'oraison dans notre vie apostolique.* H. WATRIGANT. 151 pp. 2.50

48. *Bibliographie 1912-1913.* H. WATRIGANT. 50 pp. . . . . 1 »

Collection de la Bibliothèque des Exercices

Année 1914

Janvier-Février. N° 49. *La Bibliothèque des Exercices et ses publications*. P. DEBUCHY. 40 pp. 0.80

Mars-Avril. N° 50. *Saint Vincent de Paul et les Retraites fermées*. ANONYME. 100 pp. 2.00

Mai-Juin. N° 51. *Les Retraites du Clergé*. MGR R. DE LA PORTE, Evêque de Berisa. 40 pp. 0.50. (Des conditions exceptionnellement avantageuses sont faites aux Directeurs de Retraites qui désirent propager ce fascicule).

Juillet-Août. N° double 52-53. *Une ancienne copie des Exercices* (provenant du *Bx Pierre Le Fèvre*). *Reproduction d'un manuscrit de Cologne du XVI^e siècle, avec préface historique*. 96 pp. 2.00

Complément. N° 54. *De l'Etude pratique des Exercices de saint Ignace*. P. DEBUCHY. 52 pp. 1.00

Année 1919

N° 55. *Benoît XIV, Benoît XV et les Retraites spirituelles*. H. WATRIGANT. 60 pp 1.50

N° 56 *Le Bienheureux Jean Eudes, les Eudistes et l'œuvre des Retraites spirituelles*. C. LEBRUN, Eudiste. 72 pp. 1.50

N° 57. *Quaestiones de Tribus binariis et de Tribus humilitatis modis*. H. PYDYNKOWSKI, S. J. 28 pp. 0.60

N° 58. *Souvenirs d'une Retraite à Athis*. J. HUBIN, S. J.

COLLEGE
LIBRARY
ma, California

On s'abonne à la **Bibliothèque des Exercices,** 7, rue des Augustins, Enghien (Belgique), ou à la **Librairie P. Lethielleux,** 10, rue Cassette, Paris, VI^e.

Le prix d'abonnement est *transitoirement* de **cinq francs,** pour la **FRANCE** et la **BELGIQUE ;** de **six francs** pour les autres pays de l'**UNION POSTALE.**

TYP.-LITH. J. VERMAUT
28, RUE LONGUE DES PIERRES, COURTRAI